



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

31. Quomodo mortificanda sit cupiditas contendendi & rixandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

Eccl. 37.

Quis enim fidem præstet etiam seriatim
seueranti, à quo ambiguus crebro ser-
monibus circumuentus est? vnde diu-
na scriptura de talibus dicit: *Qui sophisti-
cè loquitur, odibilis est, nempe Deo, angelis, &
hominibus.*

CAPVT XXXI.

*Quomodo mortificanda sit cupiditas conten-
dendi & rixandi.*

ALia inordinatio linguæ, in
quam boni labi solent, cum
ingenti animæ suæ damno,
est, contendere cum alijs, sitne verum
hoc vel illud? fuerit id factum necne?
debuerit hoc fieri vel contrarium: & de
alijs id genus. Radix huius vitij in quibus-
dam est nimia honoris humani cu-
piditas, & hinc fit, vt dum sapientia fa-
mam in suis dictis vel factis aucupantur,
pro ea tuenda etiam sublato clamore
pertinaciter contendant. In alijs vero
radix est nimium desiderium conge-
rendarum opum, aliarumque facultatum
temporalium. vnde fit, ne iacturam
aliquam earum faciant, vt lites
cum alijs inire non reformident, & omnia
commoueant tribunalia. Alijs etiam
hoc vitium inest, ex naturali quadam
procliuitate, sed deterrima omnibus

bus contradicendi, aliorumque dicta vel facta carpenti, vnde mox, dum alius molestè fert temerariam censuram, succedit lis & bellum.

Hoc vitium seruo Dei omni studio mortificandum & radicibus exciendendum est. Et quamuis de eo aliquid dixerimus in Tractatu de mortificatione propriæ voluntatis, eò quòd ad caritatem concordiamque animorum inter proximos conseruandam hoc argumentum prorsus sit necessarium, tamen nonnulla hic adiungemus. Quando contentio orta est, non in disputationibus scholasticis, quæ ad litterariam exercitationem pertinent, sed in congressibus quotidianis & familiaribus, idque non de re clara & euidenti, sed aecipiti, variisque hominum opinionibus ventilata, tunc homo, etiamsi suam verissimam existimet sententiam, non tamen asseueranter eam vel pertinaciter tueatur contra aduersarios, sed quiescat, cogitetque se quoque falli posse, sicut multi sapientes ante ipsam in simili genere decepti fuerunt, ac ipsemet non semel deceptus est, atque ita charitatem & benevolentiam, quam habet cum antagonista suis, non dissoluet, & bonum exemplum da-

dabit auditoribus. Quod si res quæ
 troueritur sit manifestè vera & in-
 bitata, eò quòd rationi naturali, vel di-
 uinæ legi, vel Sanctorum & Doctorum
 dictis sit consentanea, tunc homo cum
 debita humilitate & mansuetudine al-
 feueranter veritatem tueri debet, & sua
 sententiæ rationem reddere: quam si al-
 lij sibi persuaderi minimè sinant, sed
 constanter oblucentur, taceat, & dissi-
 mulet, vel sermonem ad alia transferat,
 maximè si disceptatio fuerit de re ad
 salutem non pertinente, sic enim plus
 proficiet, quam si serio suscipiat patro-
 cinium veritatis. Atque hoc est, quod
 D. Paulus tanta verborum efficacia po-
 stulat à fidelibus. *Si qua, inquit, con-
 latio in Christo, si quod solatium caritatis, si
 qua societas spiritus, si qua viscera miserationis,
 implete gaudium meum, ut idem sapit,
 eandem caritatem habentes, unanimes, idem
 ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque
 per inanem gloriam, sed in humilitate super-
 riores sibi inuicem arbitantes, non quæ suæ
 sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.*
 Quibus verbis perspicuè declarat quo
 antidoto sanare spiritum contendendi
 debeamus.

Huius rei notabile exemplum habe-
 mus in diuina Scriptura. Viderat Pro-
 phe-

Phil. 2.

pheta Elisæus Eliam Prophetam curru igneo per turbinem rapi in cœlum, vt deponeretur, quemadmodum creditur, in paradiso terrestri. Et mox eum adierunt viri quidam religiosi, dicti filij Prophetarum, rogantes, vt quinquaginta viros fortes, quos secum habebant, emitteret ad quærendum in vicinis montibus, vallibusve Eliam. Cumque Elisæus indicaret, frustra laborem illum suscipi, ac ipsi vrgerent missionem, tandem, vt contentioni cederet, assensit vt mitterentur. Vt reuerterunt spe sua fraudati, dixit ad eos Elisæus, *Nunquid non dixi vobis, ne mitteretis?* Hoc exemplum merito imitari debemus in quotidiana conuersatione cum proximis, vt quando in nostram veriore[m] eos sententiam trahere non possumus, omissa omni lite, vbi nullum peccandi periculum est, libenter illis acquiescimus. Ratio huius rei est perspicua; re-
 fessa enim contendendi materia, cauentur simul multæ auersiones, rixæ, amaritudines, detractiones, & verba probrosa, quæ hinc inde in æstu contentions iactari solent; consequatur quoque pax & animorum vniuersio, quæ præstat omnibus commodis, quæ ex contentione sequi possunt.

4. Reg. 2.

sunt. Ad hæc, qui primus in contentione alteri cedit, quasi victus, singularem actum humilitatis exercet, & cum proximo caritatem, posthabendo illius famam suam. Quanquam, licet victus forte alicui videri possit, tamen honore non excidit suo, imò honorem maiorem conciliat. Verus enim honor Christiani est, persequi ea quæ sunt cum præstantiori virtute coniuncta, & quæ maiori in pretio sunt apud Deum, ut est virtus caritatis & humilitatis. Ita sacra Scriptura docet: *Honor, inquit, est homini, qui separat se à contentionibus.*

Prov. 20.

Quando verò contentio oritur in disputationibus litterarijs, in quibus sæpè acerrimè dimicatur pro excorquenda veritate, excessus quoque nimis cauendus est, hoc est, ut ne exoriantur clamores, ne verba probrosa effutiantur, ne ad pudefaciendum antagonistam vel ad reportandam victoriam, sed tantum ad cognoscendam veritatem cum modestia & mansuetudine, solidis argumentis allatis, disceptatio instituat. Veritate vero semel clarè exposita, vel si argumentis aut testimonijs ad proseguendam disputationem argumentator destituitur, tacendum est, nam inutilis con-

contentio non illustrat, sed obscurat potius
 veritatem, vt bene animaduertit Dio-
 nyfius Richelius in Iob fcribens, ficut
 obscurat & obnubilat rationem. Vnde
 & Iob dicebat amicis fuis: *Respondete ob-* Iob 6.
fecro absque contentione.

Neque folùm cauendus est nimius
 oppugnando excessus, post inchoatam
 contentionem, sed radix etiam conten-
 tionum, hoc est, cupiditas illa aliorum
 dicta vel facta improbandi, euellenda
 est. Quare quotiescunque proximus
 noster quippiam dicit vel facit, quod a-
 liquo modo in bonam partem exponi
 potest, aut quando aliquid dicitur, vel
 fit, quod reprehensione caret, siue hoc
 modo, siue alio dicatur, aut fiat, tum
 seruo Dei conuenit tacere, & ab omni
 oppugnatione se continere. Id enim ipse
 Spiritus sanctus consuluit, dicens:
De eare, quæ te non molestat, ne certeris. Ecel. 11.
 quasi dicat: De alienis dictis vel factis,
 quæ ad te non pertinent, hoc est, nec of-
 fendunt Deum, cuius gloriam teneris
 defendere, nec iniuria te, vel eos quos
 tueri debes, afficiunt, cum nemine con-
 tendas. Breuiter, seruorum Dei mores
 debent esse ab omni contentione & dif-
 fensione alienissimi, vt commonescit
 eos B. Paulus, dicens: *De cætero, fratres, 2. Cor. 13.*
 Z gan

gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

CAPVT XXXII.

De inordinatione linguae, quoad verba otiosa, eiusque mortificatione.

Inordinatio, vel abusus linguae ordinarius & communis, in quem etiam impingunt, qui Deo seruire coeperunt, est effutire verba otiosa & vana. Primò haud dubium est, sermonem otiosum non carere culpa, si non mortali, saltem vniali, ob quam homo, licet iustus, grauissimas Purgatorij luiturus est poenas. Vt verò intelligamus, quanto studio & vigilantia nobis, quoad fieri potest, cauendus sit lapsus vel offensa venialis contra Deum; attendamus quanta verborum grauitate apud diuum Matthæum Christus Saluator noster de iudicio, & verborum otiosorum punitione locutus sit. Dico autem vobis, inquit, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij, quasi diceret: Ego qui Deus vester sum, de ea re vos monco, audite magna attentione, quia serìò commendo, & magno studio à lapsibus linguae, licet videantur vobis leues,

Matth. 15.